



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXV. Die Markgrafen Otto, Albert und Otto geben der Stadt und dem Lande Salzwedel eine Erklärung darüber, wie es mit der Ablösung der Bede gehalten werden soll, am 5. März 1282.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

a nobis et nostris heredibus debere perpetuo possideri; Ita quod ipsa urbura a nobis et a nostris heredibus, immo etiam a quolibet principe seu dominatore civitatis terreque prefate neque vendi neque obligari, neque aliquo alienationis modo dimitti, neque pro bonis aliis debeat commutari. Preterea ne civitatis et terre memorate Ministerialibus, vassallis, nec non inhabitatoribus univervis in suis bonis causisque quibuslibet, a nobis vel ab advocatis nostris injuria ulterius inferatur, Ita a nobis est statutum, quod nos duos eligere debeamus ejusdem terre milites, qui consiliares nostri non sint, et terra duos eligat ejusdem terre milites, et civitas duos burgenfes ejusdem civitatis idoneos et honestos, qui jurati plenam habeant potestatem, quod causas in tota Advocatia illa subortas et ad se delatas audiant et cognoscant, cognitasque nobis, si necesse fuerit, referant, Nosque ipsis juratis plene confidere et omnes quas nobis exposuerunt causas, secundum eorum relationem tenebimur diffinire, secundum nostrorum justitiam vassallorum, Ita tamen, ut miles, armiger, mercator et rusticus quilibet in jure suo permaneat et subsistat. Prefati autem sex eligendi sunt hoc modo, quod primi sex per annum integrum maneant et anno revoluto alios sex eligant, Ita videlicet, quod duo, qui sunt ex parte nostra, duos alios ejusdem terre milites, qui, ut prediximus, de consilio nostro non sint, ex parte nostra eligant, et duo, qui sunt ex parte terre, duos alios incolas ejusdem terre milites, et burgenfes civitatis duos alios burgenfes civitatis ejusdem pro se eligant, et hec electio certis temporibus et singulis annis fiet, Ita, quod hi sex eligant quatuor septimanis prius, quam eorum annus finiatur, et quoscunque eligere decreverint, illi absque recusatione electionem debent acceptare; Verum si quis eligendorum electionem in se factam acceptare recusaverit, statuimus, quod per Advocatum nostrum de bonis illius pro viginti talentis pignora capiantur; quorum talentorum decem in usum nostrum et decem in usum terre convertentur. Porro si, quod Deus avertat, aliquis ex nobis caperetur, predicti sex statuere debent, quod et quantum terra in adjutorium liberationis sue dare debeat, secundum quod ab eo receptum fuit et exactum; Ita videlicet, quod nos nimum non gravemur, et terra valeat sustinere. Ut autem supra dicta omnia tam a nobis quam etiam ab heredibus nostris in perpetuum inviolabiliter observentur, presentem paginam in evidens testimonium et memoriam sempiternam iussimus scribi et tam testium subscriptione quam etiam sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Sunt autem testes hujus rei Nobiles viri Walterus Dominus de Barbey, Henricus Comes de Woldenberch, venerabilis vir Henricus, Commendator curie Quartzan, Geuehardus Senior de Alvensleve, Arnoldus de Jagow, Henricus de Vrisack, Helmodus de Dreinleve, Johannes Romele, Geuehardus junior de Alvensleve et Hermannus de Carpzow, qui omnes his tractatibus affuerunt. Datum Saltwedele, Anno Domini Millesimo Ducentesimo Octogesimo secundo, Quinto Nonas Martii.

Nach Lenz Br. Urk. S. 97—100.

XXV. Die Markgrafen Otto, Albert und Otto geben der Stadt und dem Lande Salzwedel eine Erklärung darüber, wie es mit der Ablösung der Bede gehalten werden soll, am 5. März 1282.

Nos Otto, Albertus et Otto, Dei gratia Marchiones Brandenburgenses, omnibus hanc literam audituris recognoscimus protestantes, quod fertones nobis dandos de civitate et terra



Saltwedel pro redemptione precarie recipiemus annis et terminis, prout nobis est in placitis constitutum. Hiis vero annis expletis, in primo anno sequenti nobis redditus comparabuntur, scilicet pro manso, qui solvit chorum siliginis sive ordeï, duo solidi granium (oder grauium) vel equiualeus. Mansus vero si minus soluerit, minus de ipso dabitur, et hi proventus in festo Martini in eodem anno instanti nobis presentabuntur. Verum si predicti proventus tempore prefixo nobis integraliter non poterint comparari, ipsis non suspectis, immo sine Vara manentibus, sex viri electi ex parte nostra et terre Saltwedelensis, Advocato nostro cooperante, ne quid nobis de redditibus nostris prefatis deficiat, ordinabunt, hac videlicet condicione, si aliqui, quod absit, constitutionibus factis inter nos et terram Saltwedelensem presumerint non acquiescere, tales per nos ad cunctas constitutiones seruandas, prout ordinatum est in nostris litteris, compellentur. Si autem in redditibus his, quos terra nobis comparare tenebitur, vel in eorum valore, inter nos et terram Saltwedelensem dissensio aliqua oriretur, sex electi a nobis et a terra dissensionem talem discutient, eorumque discussioni ex utraque parte nos et terra tenebimur assentire. Cum vero nobis redditus emere voluerint memoratos, ipsos in emtione bonorum non debemus modo aliquo impedire, dummodo ipsorum emtio nobis in seruitiis nostris diminucionem non faciat vel defectum. Insuper nos Otto Senior recognoscimus ejusdem terre inhabitatoribus fide data promississe, quod sigillum nostrum verum, cum ejus copiam habere poterimus, litteris scriptis super venditione precarie appendere debeamus. Igitur ne hujus facti fiat obliuio, hanc super eo litteram scribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testes sunt Gheuehardus Senior de Alvensleue, Arnoldus de Jagowe, Hermannus Wiff et alii quam plures. Datum Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>. II<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. Nonas Marcii.

Nach dem Orig. des Salz. Archives V, 1.

XXVI. Die Markgrafen Otto, Albert und Otto vereignen dem heil. Geist-Hospital bei Saltwedel das Dorf Wendisch Chüden, am 7. März 1282.

Nos Otto, Albertus et Otto, fratres, dei gratia Brandenburgenses Marchiones, hujus scripti tenore notum fieri cupimus uniuersis tam presentibus quam futuris, quod proprietatem et omne jus cum seruicio et advocatia, que nobis in flauicali villa, Chudene uocata, competeat, domui hospitalis S. Spiritus iuxta Saltwedele donauimus propter Deum perpetuo possidendam, ut progenitorum ac nostrarum animarum ibidem memoria annis singulis peragatur. Hec autem bona damus jam nominata a domino Johanne de Crakoue et suis fratribus de nostra uoluntate et consensu pro certa pecunie quantitate dignoscitur comparasse sub distinctionibus agrorum antiquitus et etiam nouiter consignatis et similiter cum lignorum limitibus hoc modo incipiendo, ab austro iuxta pontem, qui Chüdene brücke uulgariter nominatur, et sic directe descendendo uersus occidentem inter agros dicte uille et siluam usque ad agrorum terminum, quo peruento directe uersus aquilonem per ipsam siluam usque super aquam Bynde distinctio habeatur, et deinde ipsam aquam ascendendo usque ad pontem prehabitu uersus austrum et sic de ipsa aqua ducendo iuxta pontem uersus meridiem usque ad signum primitus consignatum. Premissa uero omnia domui supradicte